



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, [ca. 1708]

XXIV. Junii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50961](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50961)

S. Joannes Baptista necdum natus, jam ad Mariæ præsentiam exultavit in utero matris, ad ejus salutationem sanctificatus, in vita frequenti cum Christo & Deipara conversatione fructus, sanctos suos in eum affectus fovebat, sed & post mortem sæpius cum Maria conspicuus fuit mariophilis, eosq; ad novum in Deiparam amorem excitavit. *Nad.* Quò te vox clamantis invitet, audi, & sequere.

O Sanctissime Joannes, quo non surrexit major inter natos mulierum, qui à Dei Matre Christum utero ferente prius sanctificatus es, quàm natus, impetra mihi ab eadem, ut non moriar, nisi remisso omni peccato sanctificatus; scio purissima Virgo, quomodo labem omnem detesteris, abole quæso veteres omnes è corde meo maculas, purifica illud ut scis & vis. O Sanctissima Dei, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus &c. *f. z.*

Si in deserto loco aut campis me solùm versari contigerit, faciam ut & ii laudes Marianas me præcinente audiant.

Quidquid gratiarum, quidquid virtutum, quidquid operationum cœlestium mundus accepit, emissiones tuæ sunt. *o Maria I. Ruper. Abb. incant.*

Quæstio: An Joannes exultans in utero Deiparam præsentem agnoverit? *V. Barrab. hic.*